



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

Regvla XLVI. Is, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debebit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

## REGVLA XLIV.

Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.

**P**Aulus. *Qui tacet, inquit, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare.* l. *Qui tacet* 42, D. *hoc tit.* Hæc Reg. pertinet ad interrogaciones, quæ fiunt ad eliciendam responsionem; ut, si rogatus quis taceat, non idèo pro consentiente vel pro inficiante habendus sit, ut in debitore, qui interrogatus à creditore suo extra iudicium, an debeat, vel an solverit, vel etiam in iudicio, antequam iudex iusserit, non respondeat. c. 2, *vers. verum si De confes. lib. 6.* Ceterum, si jubente iudice taceat, diversum est; cum hoc casu pro confesso habeatur, *juxta d. cap. 2, in princ.*

Sic cum reus ex parte heres est, & interrogatus in iudicio, utrum heres sit, ipse taceat, negantis loco habetur & in solidum convenitur, l. *De atate* l. 1, § *qui tacuit* D. *De interrog. in iure faciend.* Utrumque fit in pœnam contumaciæ non respondentis; ac proinde ab hæc regula nostra rectè disceditur, ne iudicio illi cedat contumacia sua. Neque turbare nos debet superior Reg. quæ tacens pro consentiente habetur: nam hæc regulâ non agitur de consensu tacito, sed illud tantummodò dicitur, tacentem neque fateri neque negare. Quippe confessio & negatio expressæ fiunt.

## REGVLA XLV.

Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

Vide quæ scripsimus ad cap. *In obscuris, supra eod.*

## REGVLA XLVI.

Is, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debet.

**S**imilis est juris civilis Regula: *Qui in ius donatorumve alterius succedit, iure ejus uti debet.* l. 77 D. *ead.*

Potro in ius succedere dicitur heres, l. *Heres* 43, D. *De acquir. vel om. hered. bonorum possessor,* l. 1, *De bonor. possess. fidei,* quoad bona fidei commissa, l. 2, *C. Ad L. iul. de vi publ.* In dominium verò, puta rerum singularium, donatarius, legatarius, emptor & similes. In illis hæc ratio est, quod in universum jus succedant alteri vicemque ejus sustineant, d. l. *Heres, d. l. 3, juncta l. Nihil* 24, D. *De verb. signif.* Unde & omnes actiones, tam activè quàm passivè in ipsos transeunt: & quod defuncto profuit, vel nocuit, similiter & ipsis prodest vel nocet, l. *Cum heres* 11, D. *De divers. & temp. prescript.* Exceptis tamen personalibus, id est, quæ personæ defuncti cohærebant, ut sunt privilegia personalia, de quibus ad c. *Privilegium sup eod ubi & latius videt;* ususfructus, usus, habitatio, § *fnitur Inst. De usufructu,* l. *Si habitatio* 10, l. *Vsus* 21, *De usu & habit.* actiones pœnales necdum motæ à defuncto, § *non autem omnes Inst. De perpet. & temp. action. revoca-*

tionem donationum propter ingratitudinem, l. *fn C. De revoc. donat. & similia;* quæ ad alium non transeunt. Quoad singularium rerum successores, eadem succedendi ratio est in iisdem rebus, ut cum causa sua transeant in successorem, sicut Pomponius his verbis indicat: *Alienatio cum fit, inquit, cum sua causa, dominium ad alium transferimus, quæ esset futura, si apud nos ea res mansisset in l. Alienatio* 67, *De contrah. empt.* Idem sed explicatiùs Ulpianus: *Traditio, inquit, nihil amplius transferre debet, vel potest ad eum, qui accipit, quàm quod est apud eum, qui tradit: si igitur quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert: si non habuit, ad eum, qui accipit, nihil transfert. Quoties autem dominium transfertur ad eum, qui accipit, tale transfertur, quale fuit apud eum, qui tradidit. Si servus fuit fundus, cum servitutibus transit, si liber, uti fuit, &c. textus est in l. traditio* 20, D. *De acquir. rer. dom.* Atque hinc fit, ut quæ actoti circa eandem rem petendam vel defendendam competebant, eadem competant & ejus successoribus; l. *In viis* 156, § *cum quis cum § seq. D. hoc nostro tit.*

Cccc

REGU-